



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

II. Quinam possint, & non possint contrahere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

5. *Sunt ne iure positivo aliqua irrita promissiones?* Ita plane, vt quæ præbent occasionem peccandi, quæ libertatem disponendi de rebus suis tollunt, & similes.

6. *Obligat ne interna promissio?* Deo quidem facta obligat; quia & cognoscit, & acceptat; homini autem minime; quia non agnoscens non potest acceptare.

7. *Externa autem obligat ne ante acceptationem?* Minime nec iure naturali, nec positivo. Excipe aliquas priuilegiatas promissiones, v. gr. factam ciuitati ad reparationem factam vniuersitati, vel Ecclesiæ, aut Hospitali. Hæc enim etiam si non acceptentur obligationem ob commune bonum inducunt.

8. *Obligat ne promissio externa acceptata, sub mortali?* Si fit rei notabilis, obligat; & datur ei de iure Canonico actio.

9. *Obligatur ne, qui non habet propositum promittendi, sed utitur promissoris verbis ad firmum propositum significandum?* Non obligatur nisi ratione damni.

10. *Obligat promissio acceptata de re illicita?* Minime; quia nec huiusmodi res potuit promitti, nec acceptari.

11. *Quid si causa ob quam promissio facta est non subsistat aut si verum, vel personarum mutetur status?* Si arbitrio prudentis status ille mutatus illum euentum non comprehendat, & si causa non subsistat, non obligat acceptata promissio.

12. *Contractus ex graui metu factus est ne irritus?* Non est irritus quidem ipso iure: irritari tamen potest ab eo, qui passus est metum. *Quid si leuis sit metus?* Etiam ex leui, potest in conscientia foro irritari. Idem affirmo in distractionibus & remissionibus contractuum, & in reuerentiali metu, si minime coniunctæ sint, aut grauis offensionis timor. Id quod locum habet etiam suo modo in importunis precibus, quæ alia via repelli non possunt.

de dissolutionibus

CAPVT II.

Quinam possint, aut non possint contrahere; & de restitutione ex contractu.

13. *Quinam possunt contrahere?* Contrahere generaliter possunt qui bonorum administrationem habent.

Possunt ne minores? Non possunt sine curatoribus, cum illis possint sicut & Pupilli cum Tutoribus. Perfecto absque curatoribus obligantur naturaliter, & in conscientia, aliquibus

bus casibus exceptis: possunt tamen beneficio restitutionis in integrum obligationem elidere.

14. *Possunt ne contrahere filij-familias?* Possunt de bonis Castrensibus, vel quasi Castrensibus; non de adventitiis, vel profectitiis. Si tamen & contrahant, & puberes sint, obligantur, & datur aduersus eos actio, tanquam minores læsi utantur restitutionis beneficio. *In seruis?* Non oritur ciuilis obligatio, sed tantum naturalis.

15. *Nun qui ipso iure bonis privati sunt contrahere possunt?* Possunt quidem ante latam sententiam; quia dominium bonorum suorum retinent, sed infectum, & affectum ea qualitate, ut post sententiam omnes contractus rescindantur, à die commissi criminis.

16. *Quid de contrahendi potestate Clericorum dicendum est?* De patrimonialibus, & quasi patrimonialibus contrahere possunt. In Beneficialibus autem de parte necessaria ad congruam sustentationem, possunt: de alia validi quidem contractus sunt, sed delinquent, si in vsus non pios expenderit. Porò immobilia Ecclesiæ bona alienare non possunt, ut neque mobilia pretiosa quæ possunt asseruari.

17. *Obligatur ne Monasterium ex contractu Religiosi?* Minimè obligatur ex contractu facto ultra traditam facultatem, & potest illum ratum non habere. Religiosus tamen qui sic contrahit, ob periculum alterius peccat grauitè, si graue periculum sit.

18. *Iam verò queisnam personis restitutio in integrum ex contractibus conceditur?* Porò restitutio in integrum non habet locum, quando contractus omnino irritus est. Si Minor læsus sit, gaudet priuilegio restitutionis, & durat vsque ad vigesimum nonum annum. *Complet autem illi, de omnibus contractibus in minoritate factis.* Aliis quoque conceditur, scilicet Ecclesiæ, Piiis locis, Communitati, Principibus supremis, Vniuersitati studiorum, Rusticis, & Mulieribus.

19. *Quandònam quis læsus dicitur?* Quando res vendita infra iustum pretium vel non debito tempore, vel facta donatio sine rationabili causa est.

20. *Possunt ne fructus percepti repeti?* Possunt quidem in contractu gratuito; in oneroso non, nisi quando iusto pretio res fuisset vendita.